

**Dissertatio medica inauguralis, de peritonitide puerperarum ... / Eruditorum  
examine subijcit Gulielmus Woollcombe.**

**Contributors**

Woollcombe, Gulielmus.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Gulielmum Creech, 1796.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/px6amt33>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Peritonitide Puerperarum.

OF THE MEDICAL

INSTITUTION

OF THE MEDICAL



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

Peritonitide Puerperarum;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu; et  
Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS WOOLLCOMBE,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Præs. Ann.

Necnon

Soc. Nat. Stud. Edin. Soc.

et nuper Præs.

Ad diem 24 Junii, horo locoque solitis;

EDINBURGI:

APUD GULIELMUM GREECH,

M DCC XCVI.



DISSEMINATED

OF THE

OF

FOR THE

OF

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

JACOBO GREGORY, M.D.

MEDICINÆ PRACTICÆ IN ACADEMIA EDINENSE


PROFESSORI,

HOC OPUSCULUM

ANIMO QUAM GRATISSIMO

SACRUM VOLUIT


AUCTOR.



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31966561>





De hujusce morbi (febris puerperalis) natura, causis, et  
curatione tantam invenio inter eos diffensionem, tantam  
opinionum varietatem, ut, cui tirones fidem habeant,  
quem sequantur, quem, ut ducem, sibi proponant, de-  
cerni minime possit.

BURSERII INSTIT. MEDIC. PRACT.—



# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

### Peritonitide Puerperarum.

---

**M**EDICINÆ studium colentibus nihil fors-  
san magis profuit, quam morborum ordinatio,  
quæ Nosologia Methodica audit. Conjecturalis  
enim est ars medica, et nullo alio duce, quam  
analogia, medicis plerumque datur inniti: ex  
analogia vero nascitur Nosologia Methodica.  
In hac scientiæ parte “in formam, et decus,  
et elegantiam quandam” redigenda, multum  
egit, sed non peregit celeberrimus CULLEN.



Morborum memoratu quidem dignorum, quos ipse se omisisse confitetur, is, de quo nunc agendum est, in numero jure recensetur. Enimvero nullus proculdubio cura nostra sedulissima magis dignus, quam Morbus Puerperalis, (hoc enim nomine febrem, quam dicunt, puerperalem, donec de natura ejus certiores facti simus, distinguere præstabit,) five stragem ab eodem editam spectamus, five illas quæ sævitiae ejus patent. Plures enim ab hoc morbo quam ab ipsa Peste, respectu ad numerum earum habito, quæ impetui ejus obnoxiae fiunt, atque hæc reipublicæ pretiosissima capita, vita premature spoliantur. Præterea, si ex opinionibus de natura ejus, et causis, et curatione, tam varietateque dissentientibus, ad has explorandas nos magis accendi oporteat, nullus fere morbus hoccine, quem jam scripturus sum, magis exquisitam indagacionem postulare videtur.

*HISTORIA*

*MORBI.*

MORBUS Puerperalis, etsi per omne ævum medicis, quibus haud ignota Hippocratis scripta, fatis cognitus, nusquam  
tamen



tamen epidemicum, usque ad hæc ultima secula, sese protulisse videtur. Ab eo autem tempore \*, quo primum Parisiis probe annotatus erat, dum Europam peragrabat, nosocomia puerperis propria invisens, sæpe perniciosissimus extitit: et forsan ex hoc fonte, scilicet ex tallium ædium institutione, hæc maxima clades derivatur. Quanto exitio semper invasit, exempla proferendi occasio mox tribuetur, postquam phænomena morbi fuerint descripta.

Historia quæ sequitur, cujus est symptomatum progressum communem imprimis proponere, dein varietates quæ accidunt annotare, ex auctorum multorum, qui nuper de hac re differuerunt, inter quos maximam sibi vindicavit

\* Anno 1746.—Morbum inter puerperas epidemicum, huic nostro sub similem, anno 1664 incidisse narrat Peu: sed de indole ejus haud satis constat. *Pratique des Accouchemens*, l. 2. c. 1. f. 3. Morbum puerperalem epidemicum primum, cujus historiam satis luculentam, et cadaverum sectionibus comprobata, habemus, in nosocomio, l'Hotel Dieu, anno 1746, annotavit Jussieu.—*Acad. R. des Sciences, l'an 1746, Mem.*



vit laudem cl. HULME, scriptis studiose collatis depromitur.

Secundo, tertiove post partum die, leviter inhorrescit ægra; teneritudine quadam afficitur, et tactu præcipue dolet hypogastrium totum, dum cuidam ventris parti dolor vehementior adest; abdomen paululum intumescens, nec molitiem, nec colorem amittit. Dolore acuto frons convellitur, præsertim supra supercilia pungente, quem sane comitantur vertigo, inquietudo, anxietas, animique demissio, vultu non obscure depicta. Pulsus frequens et debilis; cutis calida et ficca; lingua alba, mollis, et madida est; fitis urget; respiratio celer et anhela fit; vultus rubore suffunditur; et rubeus vel lividus color genas insidet: His cito supervenit virium ingens prostratio.

Ingravescente morbo, secundo tertiove die, vomitus et frequens dejectio plerumque accedunt; materia sursum rejecta flavum, subviridem, vel nigricantem colorem habet, deorsum vero, fusca, foetidissima, et albida spuma commixta excernitur. Urina primo ægre reddita,  
nunc



nunc fusci coloris facile emittitur, sedimentum subcrudum depositura. Accedente diarrhœa, per breve temporis spatium, mitescunt symptomata, mox auctis viribus reditura. Ingravescit jam abdominis dolor, ipsumque intentum et prominens evadit; pulsus crebrior et debilior micat; spiritus difficiliter trahitur; lingua arida, et aspera tactu sentitur. Ægra ipsa supina, inquieta jacet, vel somno brevi, interrupto, per intervalla expergiscitur.

Morbo jam paucos dies hoc ordine modoque progrediente, abdominis dolor subito urgere desinit; extrema fudor frigidus occupat; alvus sponte dejicitur; postremo delirium invadit, in mortem brevi desitutum.

Morbus ita progressus mortem, undecimo plerumque die, infert; ubi vero felicior exitum res habet, symptomatum levamen ex alvi, vel fudoris, vel urinæ profluvio, quarto quintove die, oriri solet; et ægra ad secundam valetudinem, lentissimo quidem gradu, progreditur.

Ad varietates, quæ subinde accidere solent, jam advertendum est: Quamvis secundo, tertiove die



die, plerumque aggreditur morbus, tamen haud defunt exempla accessionis ejus omni tempore a partu, usque ad octavum decimumve diem. Morbum interdum ante partum ingruere, nonnulli existimarunt; exempla quædam hujusmodi citat D. Clarke \*, et hanc opinionem Hippocratis auctoritate forsitán stabilire liceret †. Aliquando morbus invasurus signis, horrorem præeuntibus, prænunciatur. Id genus sunt nausea, saporis amari sensus, languor, vultus pallidus, oculorum caligo, et lactandi averfatio. Si autem his signis subfit crebrior pulsus, aliquid instare mali quam maxime verendum est.

Horroris impetus, in hac quam in aliis pyrexiiis plerumque levior, ita ut aliquando vix aut ne vix quidem percipi possit, aliquando tamen vehementior adest; huic autem signo vis futuri morbi minime respondet. Dolor hypogastrium fere totum occupat, sed in quadam parte, plerumque inter umbilicum et pubem sita, magis torquet; interdum

\* Clarke Eblanens. Med. Commentar. xv. 321.

† Hippoc. de Morb. Popular. Lib. 1.



interdum per hypochondria super ventriculum extenditur, interdum pubem invadit, interdum etiam a lumbis et pube usque ad femora descendit. Variam autem doloris externi sedem varia comitantur symptomata, prout unum alterumve viscerum subjacentium afficiatur: enimvero ventriculi, vesicæ, uteri, vel intestini recti affectiones aliquando oriuntur.

Pulsus ab initio frequens et debilis, nonnunquam haud facile comprimi potest; atque ab ictibus centum et triginta in horæ minuto editis, ingravescente morbo, ad centum et sexaginta, et amplius, intenditur. Sanguis detractus, qualis pleuriticorum esse solet, tunica alba et tenace obducitur. Spiritus celer et anhelus, sed neque difficilis, neque sibilo strepente trahitur, et tanto plus distat a statu sano, quanto abdominis dolor intenditur: interdum, ubi morbus aliquandiu processit, haud aliter, quam pneumonia laborans, respirat ægra; et forsan tunc temporis, iisdem causis, quibus in pneumonia, spiritus impeditur. Tussis molesta, morbo etsi aliena, ægram sæpe infestat.



Lingua initio alba et humida, et interdum lineea rubra ad longitudinem bipartita, postea arida, et aspera, et fusci flavive coloris, sed nunquam sordida, evadit. Aphthæ in ore et faucibus, petechiæ, et vibices, a quibusdam recensentur; hæc autem rarissime observantur. Cutis conditio multum variat; interdum calida et ficca, interdum vix aliter quam apud sanas, vel sudoribus lenibus et incertis madescens.

Vomitùs doloris et pyrexiae accessionem plerumque non statim ab initio sequitur, interdum vero ipsam præcedit, rarius etiam ante partum exoritur; comitatus autem sensu ponderis ad ventriculum et nausea perpetua, ante obitum adeo ingravescit, uti omnia, quæ assumit ægra, statim rejiciuntur. Vomitum nullum esse raro accidit; hoc autem ita se habente, remedia emetica validiora ad eum ciendum parum valent.

Alvus initio nonnunquam soluta, multo sæpius astricta reperitur, brevi autem in diarrhœam defitura: sive autem astricta, sive soluta sit, intestinorum inflatio adest, haud parum molestiæ secum afferens. Quando dejectio valde frequens est



est, etsi doloris et vomitus levamen ad tempus præbet, pyrexia tamen vehementiam, cujus vi fere semper respondet alvi fluxus, minime sedare valet. Morbum vehementem, diarrhœæ profusæ expertem, nunquam se vidisse testatur D. Leake.

Prospero exitu eventuro, alvi fluxus, decrescente pyrexia, minuitur; quod si aliter futurus est, mortem protrahere potius quam accelerare videtur.

Morbi initio, dysuria interdum vexat, sed, superveniente diarrhœa, levatur. Urina, fluxu lochiali non imbuta, fusci coloris est, nubem et sedimentum crassum deponit; morbo autem feliciter progrediente, turbida, et flavi luteive coloris fit, flavumque sedimentum demittit.

Fluxus lochialis, nec quod ad quantitatem nec ad qualitatem attinet, plerumque mutatur; nunquam, ut placet Leake, aliquando, uti Hulme alique fatentur, versus finem minuitur. Lactis secretio modo supprimitur, modo per totum morbi decursum imminuta manet.

Exitus felicior quarto, seu quinto potius die,



plerumque accidit ; ex hoc saltem die morbus mitescere solet, sed, viribus multum imminutis, secundam valetudinem lente recuperat ægra. Alvi fluxus, urinæ, vel sudoris profluvium huic remissioni nonnunquam conveniunt ; et tali oborto profluvio, morbum *critice* solutum fuisse nonnulli censere volunt \*. Morte autem a quinto ad undecimum fere diem corripuntur ægræ ; haud defunt tamen exempla quædam rara vitæ ad quindecimum diem productæ, et nonnulla, rariora autem, mortis intra horas viginti octo illatæ.

Morbum demum puerperalem per nosocomia grassantem ita describunt fere omnes auctores ; apud privatas autem ædes, speciem paululum diversam præfert, hic potius inflammationis, illic debilitatis notis magis insignitus.

#### SECTIO

\* Eventus felicitis tria exempla, notatu digna, protulit D. Gordon ; quorum in duobus, suppuratione facta, pus apud umbilicum emittebatur, in tertio per urethram idem defluxit. *On the Epidem. Puerp. Fever of Aberdeen, 1795.*



*SECTIO*      *CADAVERUM* inspectiones eadem  
*CADAVERUM.* fere semper detexerunt. Statim, vel paulo post obitum, abdomen, nisi per totum morbi decursum fusior fuisset alvus, in tumorem sublatum reperitur, quod colorem autem attinet, nihil mutatum. Inciso abdomine, erumpit aër foetidissimus; eodemque intestina etiam distenduntur; in cavum ejus liquor subflavus, cujus pars ea, quæ ad concretionem magis proclivis, intestina passim oblinat, multus effunditur. Peritonæi quædam pars inflammata semper detegitur; omentum vero præcipue afficitur, et, adipe suo absumpto, modo in suppurationem, modo in sphacelum abiisse videtur. Post omentum, uteri ligamenta lata, tum coli ad flexuram ejus, et intestini cæci tunicæ exteriores, ad inflammationem procliviores esse videntur; viscerum autem cavorum tunicæ internæ raro inflammantur. Jecur interdum afficitur; contractum et pallidum sæpius, abscessum hydatidibus repletum continere semel repertum fuit. Uteri interna facies haud aliter quam apud sanas sub idem a



partu tempus apparet, et superficies raro inflammata observatur. Ovariorum suppuratio aliquando adfuisse videtur \*. A peritonæo ad pleuram haud raro inflammatio prorepat; pulmones densi et lividi fiunt, et in cavis thoracis idem, qui in abdomine, liquor invenitur. Pericardii etiam fluidum præter solitum adauctum in paucis repertum est. Quæ cranium continet, aliter quam in statu sano nunquam detecta fuere.

Liquorem, in cavo abdominis repertum, vir, artis chemicæ peritissimus, in sua principia resolvere curavit †: experimentorum ejus fructus ex ipsis auctoris verbis scire licet. “ When first delivered to me, it was a cream-like fluid, of a yellowish cast, and had a very strong fleshy smell, like that of meat which has been kept several days, but was not at all fetid. After standing

\* *Acad. R. Scienc. 1746. Mem.* Ovaria suppurata invenit nostratum solus, D. Gordon. Omnium mortuarum, trium scilicet, quas ipse incidit, ovaria dextra morbida, sinistra integra vidit. Idem ovarium, ex quo in conceptu ovum evaderat, in his tribus casibus, affectum observavit. *Loco citato.*

† D. Pearson.



“ standing a few hours, a deposition took place  
 “ of a very copious, opaque, and somewhat cur-  
 “ dy fluid, from a brown, and almost clear fluid.  
 “ The brown fluid and sediment being thrown  
 “ on a filter of three folds of paper, about seven-  
 “ eighths of the whole fluid passed through flow-  
 “ ly, leaving on the filter, a very thick yellow-  
 “ ish and somewhat curdy matter. The above  
 “ cream-like animal fluid appears to be a me-  
 “ chanical mixture of, in appearance, a slightly  
 “ coagulated matter, and a fluid like serum in  
 “ many properties, in the proportion of one  
 “ part of the former to sixty-three of the latter.  
 “ But as to the difference in qualities between  
 “ this seemingly coagulated matter and the co-  
 “ agulable lymph of the blood and lymphatics,  
 “ caseous matter, pus, mucus, and other ani-  
 “ mal mucilages, we cannot distinguish them  
 “ without further experiments.” *Clarke's Prac-*  
*tical Essays, &c.* p. 138, 143.



*CAUSÆ* DE causis morbi remotis, diu affi-  
*REMOTÆ.* dueque indagatis, sed minime adhuc exploratis, nihil certi habemus. Quas igitur apud auctores accepimus, eas jam solummodo enumerare velim, quoniam plura de iis, ubi de morbi natura tractatur, opus dicendi erit.

Corpus morbo opportunum reddere dicuntur graviditas et partus; etenim in priore illo statu, uteri moles increfcens peritonæum valde distendit, et intestina comprimit; in hoc autem posteriore, musculorum abdominis et septi transversi contractione, eadem magis premuntur: partu demum finito, a vi distendente subito sublevatur peritonæum, nec amplius intestina comprimuntur. Hæc autem, notandum est, puerperis omnibus communia adesse.

Inter causas etiam prædisponentes enumerantur animi affectus, quos dicunt, deprimentes; unde accidere solet, innuptas esse magis, quam nuptas, ad morbum proclives. Quod ætatem et corporis habitum attinet, nihil comperti habemus; juniores tamen magis obnoxias esse fortasse



tasse comperietur \*. Omnibus anni tempestatibus morbus interdum invadit; sed frequentius hieme, vel verno tempore frigidiorē, epidemice grassatur.

Causæ occasionales prioribus etiam magis occultæ latent: apud auctores recensentur contagio specifica, aëris quædam constitutio epidemica, corpori frigus admotum, calidorum et stimulantium usus, in victu errores, injuria inter partum adhibita, et post eundem abdominis nimis arcta compressio.

*MORBI*           MULTAS et diversas hypotheses ad  
*INDOLEM.*       explicandam puerperalis morbi indolem confictas recensere, opus et grave et inutile foret. Nemo profecto quidem est, quin persuasissimum sit, causam ejus proximam Hippocratem aliosque, tam veteres, quam recentiores, lochiorum

\* Ex ægris sexdecim hoc morbo correptis, quarum historiæ ab Hulme et Leake narrantur, decem annum vigesimum sextum nondum expleverant, reliquarum non ullæ anno trigesimo quarto superfuere.



lochiorum suppressioni, Hoffman et sectatores ejus uteri inflammationi, Van Swieten et fere omnes apud Gallos auctores lactis translationi, male retulisse. Discrepantia autem sententiarum, jam plerumque probatarum, in hoc, ni fallor, prorsus consistere videtur: Utrum morbus puerperalis ad phlegmasiarum, an ad febrium ordinem referri debet; siue peritonæi inflammationem, affectionem primariam, siue secundariam, et febris tantum symptoma, habere oportet. Priorem harum sententiam magis verisimilem esse, multa me suadent. Ex his, quæ præsertim notatu digna videntur, sunt dissimilitudo, quoad symptomata et decursum, inter morbum puerperalem et typhum \*, similitudo illius cum phlegmasiis quibusdam, et denique, quæ observantur, ubi inciduntur cadavera earum, quas morti dedit morbus, de quo agimus.

Priusquam vero ad has perpendendas sententias

\* Hoc verbo febrem continuam generatim intelligendam volo; synocham enim, nisi quæ morbum localem primarium committetur, raram, vel prorsus nullam, reperiendam opinor.



tias pergamus, de auctoris nuperi sententia, quæ forsan objici potest, quædam notare oportet †. Enimvero is censet duos quidem morbos, natura sua penitus diversos, sub eodem nomine, febre scilicet puerperarum, sæpe confusos fuisse: hi sunt peritonitis vera, et febris quædam nervosa, inflammatione peritonæi, seu abdominis cujusdam partis interioris, nunquam non conjuncta. Ex historiis autem horum morborum, ab eodem accurate depictis, minime liquet eos re vera esse distinctos, et natura sua penitus diversos. Symptomata morborum præcipua, quæ pathognomonica dicuntur, in utroque eadem esse videntur; in altero quidem exemplo simplicia, et nullis aliis commixta, observantur, in altero autem, alia quædam, ex causis forsan propriis pendencia, adjuncta reperiuntur. Ita, et in peritonitide et in febre epidemica, ab hoc auctore descriptis, idem dolor abdominis, eadem ad vomitum et alvi fluxum proclivitas, eadem spirandi molestia,

† Clarke Londinensis. Practical Essays on Midwifery,

&c.—Confer. Sect. 3 and 4 cap. 5.



molestia, notantur; atque, ubi inciduntur cadavera, in cavum abdominis idem humor effusus fuisse invenitur. Febri autem epidemicæ major adest virium prostratio, magis afficitur systema nervosum, et vi minore valet inflammatio localis. Conjunctio vero symptomatum, ex his pendens causis, varietatem tantum, et nequaquam genus diversum, constituit. E prætermissione distinguendi symptomata propria ab adventitiis, quæ morbos forte comitantur, auctus est supra modum atque utilitatem generum et specierum numerus. “Cum vero symptomatis characteristicis (inquit nosologorum facile princeps) alia quædam addita sint, si addita pro symptomatis symptomatum, potius quam pro symptomatis causæ haberi queant, varietatem tantum constituunt\*.” Quanto inter se discrepant symptomata morbi ejusdem, diversis tempestatibus epidemice grassantis, nemo quidem nescit.

Ponamus igitur pro concessio, varietates febris  
puerperalis

\* Synops. Nosolog. Method. Prolegom.



puerperalis omnes, ab auctoribus recensitas, unum tantum genus constituere, et ad rem propositam redeamus, nempe differentias, morbum puerperalem inter et typhum quæ interfunt, indagandi.

Omnibus, intra ordinem vel febrium, vel phlegmasiarum inclusis, morbis pyrexia adest. In febribus quidem hæc affectio primaria habetur; in phlegmasiis autem effectus, sive ex quadam præeunte affectione locali pendere, existimatur. Hoc liquido constat ex definitionibus, quas ob alias causas citare opus est.

Febres.—“ Prægressis languore, lassitudine, et  
 “ aliis debilitatis signis, *pyrexia sine morbo locali primario.*” Phlegmasiæ.—“ Febris synocha;  
 “ phlogosis, vel dolor topicus, simul læsa partis  
 “ internæ functione; sanguis missus et jam concretus superficiem coriaceam albam ostendens.”——

Quoniam nemo quidem concedere nolit, affectionem localem in morbo puerperali semper adesse, quæstio tantum manet, utrum hæc primaria, et pyrexiae causa, an illius effectus, con-



stans etfi symptoma, ex quacunque causa natum, sit habenda. A quibusdam fortiter certatum fuit, quod, quoniam rigor ventris dolorem præcedit, idcirco inflammationem, hunc gignentem, illum subsequi necesse esset. Ad hoc responderi potest, id quod ponunt, universe verum esse, nequaquam concedi posse, cum in multis casibus dolor etiam vehemens adest, priusquam rigor, ullumve pyrexiae signum, percipi potest. Hoc sine dubio accidit quatuor ex ægris, ab Hulme et Leake curatis, et in plerisque casibus, rigoris accessio dolori certe non præest, etfi, quippe astantibus magis conspicua, præire sæpe censeatur. Peritonæi inflammationem multo citius, quam existimatum fuit, interdum incipere, certiores facti sumus ex inspectione cadaverum earum quæ morti occubuere aliquot tantum horas; postquam morbum adesse solita signa indicassent. Exemplum appositum a D. Clarke narratur: Mulieris, quæ duas horas post partum periit, peritonæum inflammatum, aliaque quæ observari solent, inveniebantur \*. Si  
vero

\* Med Comment. V. xv. 321.



vero concederetur, rigorem affectionem localem plerumque præcedere, idem tamen sæpe accidere in istorum morborum accessu, quos nemo ad phlegmasias referre dubitat, monstrare haud difficile foret. Ex scriptis viri auctoritate gravis, (etsi tanti viri auctoritas ad rem, quotidie observatam, confirmandam minime necessaria videatur,) exemplum unum proferre sat erit. De Pneumoniæ accessu edisserens hæc verba habet Cullen: "Sometimes the pyrexia is from the beginning accompanied with the other symptoms; but frequently it is formed before the other symptoms become considerable, and *particularly before the pain be felt.*"

Hoc nodo ita soluto, restat tantum ut quædam morbum nostrum inter et typhum, quæ quoad causas, symptomata, cursum, et finem discrepant, notarentur.—E contagione humana typhum omni fere casu oriri adeo verisimile est, ut pro effato assumere forsitan liceret; saltem vero nobis postulare licet, unde accidit, typhum in iis nunquam gigni, qui contagioni, cui ex hypothese morbus puerperalis pendet, obnoxii fiunt.

Nullum



Nullum tamen exemplum, gravibus exceptionibus haud obnoxium, typhi tali modo propagatū unquam prolatum fuit; et, si morbus puerperalis re vera fit contagiosus, ejus contagioni solæ patient puerperæ.

Quod ad symptomata attinet, quædam morbo utrique communia extare minime negatur, et quoniam, ut infra ostendere conabor, pyrexia morbo puerperali propria, fit profecto quidem typhodes, hoc certe expectandum est: quædam differentiæ tamen, satis notabiles, invenientur. Sensorii conditio quam maxime differt; in typho, "sensorii functiones plurimum turbantur," ut in ipsa definitione notatur; in altero autem morbo, veluti ex omnium consensu apparet, sensus, quos dicunt, interni usque ad mortem, vel donec jam instat mors, immoti fere et imminuti manent. Delirium in illo adeo commune, in hoc nunquam, nisi in ipso mortis articulo, supervenit. In typho interdum incidit partis cujusdam affectio inflammatoria, Cynanche scilicet, Rheumatismus, Pneumonia, Gastritis; hæc autem rarius occurrunt, et certe symptomata adventitia existimanda sunt; in morbo  
autem



autem puerperali peritonæi cujusdam partis inflammatio nunquam non incidit. Citatiore etiam cursu ad finem tendit puerperalis morbus, quam plerumque, nostris saltem regionibus, typhus solet; et multo minus lethalis hæc quam ille grassatur.—Si quis tamen objicere velit, tales varietates morborum diversitatem minime probare, quoniam e conditione corporis, puerperis propria, pendere possint; huic talia objectanti respondeo, quod typhus vera, e contagione cognita propagata, puerperas interdum invadere solet, tamen morbi puerperalis signis pathognomonicis non comitata. Si igitur ex argumentis supra allatis morborum identitas suspecta fiat, hoc facto, cujus in testimonium historiam sequentem ipsis auctoris verbis referam, omnino, ni fallor, refellitur.

“ A young woman had very lately, as I was  
 “ informed, an extreme good time of her first  
 “ child; but she was unfortunately put into a  
 “ bed out of which her sister, my patient, was  
 “ removed, who had long lain ill of a slow ner-  
 “ vous fever. If we except her not having  
 “ a stool, she went on very well for five or six  
 “ days,



“ days, the lochia being properly discharged ;  
 “ she slept well, and her breasts were properly  
 “ filled with milk : but about the conclusion of  
 “ this period, probably when the miasma re-  
 “ ceived from the curtains and bed-cloaths,  
 “ began to take effect, she complained of pain  
 “ in her head, was feverish, and her fever in-  
 “ creasing with want of sleep, I was desired  
 “ to see her on the eighth day of her lying-in.  
 “ I then found her in a hot sweat, with an ex-  
 “ cessive quick weak pulse, and exactly the  
 “ same kind of symptoms which accompanied  
 “ her sister's fever. A clyster was immedi-  
 “ ately given with good effect ; other remedies  
 “ were ordered, and her breasts had been and  
 “ still continued to be carefully drawn, till  
 “ they became flaccid from milk not being se-  
 “ creted ; but the parents of the woman hav-  
 “ ing lost another daughter in childbed, were  
 “ firmly persuaded that this would also die.  
 “ Thus, she continued in the same bed, reme-  
 “ dies were entirely neglected, she soon became  
 “ delirious, and did die on the twelfth day from  
 “ her



“ her delivery ; but she had neither *diarrhœa*,  
 “ *pain, soreness, or swelling in any part of the*  
 “ *abdomen*, though the lochia entirely stopped  
 “ on the second day of the fever \*.” —

Hoc præclarum exemplum minime unicum extat ; et conclusionem hinc exortam observatio, quæ sequitur, Doctoris Clarke stabilire videtur.

“ From the 18th of December, till the 23d  
 “ of July, thirteen (*puerperal*) women were  
 “ affected with symptoms of general fever, with-  
 “ out any appearance of local disorder of the  
 “ abdomen. All these continued beyond the  
 “ usual period of ephemeræ : Two of them only  
 “ died, one on the 8th, the other on the 17th  
 “ day from the attack. Many of these febrile  
 “ symptoms I was inclined to attribute to the  
 “ fears and apprehensions naturally excited by  
 “ the numerous deaths produced by the puerpe-  
 “ ral fever.—*Med. Commentaries*, V. xv. 315.”

Hic notatu dignum est, quod, etiam si aëris constitutio, seu quæcunque sit causa, quæ mor-

D

bi

\* Kirkland on child-bed fevers, Case xvi.



bi puerperalis invasioni epidemicæ favet, tunc admodum valebat, tamen ista typhus, quæ has puerperas adorta est, proprium suum characterem retineret, nullis alterius morbi pathognomonicis adjunctis ; igiturque nequaquam dici potest, inflammationem localem febris effectum esse, e conditione quadam obnoxiarum pendentem.

Morbum puerperalem a typho ipsa natura sua diversum esse probare conatus, illum ut inter phlegmasias recensere oporteat, jam ostendere pergam. Priusquam vero ostendatur analogia, quæ illi cum phlegmasiarum quibusdam subest, pauca quædam de phlegmasiis in genere observare haud abs re erit. Hujus ordinis definitio, supra prolata, morborum, quos complectitur, plerorumque notionem satis justam præbet ; sed tamen confitendum est, extare quosdam, et genera et species, quibus tota definitio recte applicari non potest. Hunc nosologiæ methodicæ defectum, haud forsan vitandum, considerare jam alienum foret ; ad nostram rem satis erit observare, pyrexiam, quæ morbos inflammatorios plerumque comitatur, synochæ characteri responde-



re ; in quibusdam autem casibus, pyrexiam comitantem revera esse typhodem : in quibusdam etiam exanthematum eadem diversitas accidere solet. Ex phlegmasiis, Gastritis, Enteritis, Cyananche maligna, et interdum Pneumonia, ex exanthematibus, interdum etiam Rubeola, et Erysipelas, pyrexia typhode comitantur. Qua de causa pendet hoc pyrexiae symptomaticae discrimen, res est indagatu dignissima : in morbis inflammatoriis, modo e partis affectae, modo e causae excitantis natura pendere videtur, nonnunquam etiam ex aëris constitutione, vel quibuscunque causis, epidemicorum invasioni faventibus, quæ nos æque latent ac illustrem Sydenham olim latuere. “ Quæ qualisque (inquit) fit illa aëris dispositio nos pariter ac complura alia, circa quæ vecors et arrogans philosophantium turba nugatur, plane ignoramus.” Multa, e quibus morborum inflammatoriorum varietas oriri possit, notavit ingeniosus vir, D. Carmichael Smyth ; inter diversitatis causas enumeravit partis, quæ inflammationis sedes est, fabricam diversam ; et hinc ex inflammatione membranarum



membranarum pellucidarum, quales sunt pleura et peritonæum, speciem constituit\*.

Quoniam inter pneumoniam et peritonitidem nostram, præter partis affectæ fabricam consimilem, multa communia esse videntur, morbum priorem pyrexia typhode conjunctum interdum oriri, ut supra monui, jam ostendere conabor. Talem pneumoniæ varietatem unquam extare, aliquos negaturos haud ignoro: hi enim contendunt, quod, ubi inflammatio pneumonica et febris typhodes in eodem simul concurrunt, morbus primarius sit typhus, et inflammationem tantum accessoriam habere oporteat. Talem conjunctionem nonnunquam exhiberi nemo equidem negabit; sæpe enim accidit, causam typhi occasionalem concurrentem, frigus scilicet corpori admotum, inflammationem interdum catarrhalem, interdum, sed rarius, pneumonicam gignere. Typhum apud milites in arce Edinenfi, anno 1779, epidemice grassantem, quicum conjungebatur pulmonum inflammatio,

\* Med. Communications, V. 2. xix.



matio, profert exempli causa clariss. Gregory ; et talem conjunctionem in puella, decem nondum annorum, ab eodem curata, ipse vidi. Verum enimvero, multum diversa, me saltem iudice, est ista pneumonia typhodes, de qua scribit celeberrimus Huxham. Medicus iste solertissimus, et naturæ observator fidelis, quamvis auxilio, quo nosologiæ perfectioris ope jam fruimur, notiones suas morborum naturæ verbis certis et bene intellectis prodendi careret, in notandis tamen, et describendis, quæ notavit, phænomenis adeo præstitit, uti in morborum, quos descripsit, vera indole discernenda nihil difficultatis reperiatur. Inveniemus igitur, ni fallor, morbum epidemicum, quem Plymuthæ, annis 1745, 1746, grassatum fuisse memorat, revera esse pneumoniam idiopathicam, pyrexia typhode conjunctam. Typhum epidemicam eodem tempore fuisse, minime ignoro ; pneumoniam vero, et apud agrestes propria sua forma apparentem, etiam epidemicam extitisse, haud minus certum est. In oppido, et præsertim apud nautas qui, post longas navigationes, jam multo labore fracti redierant,



redierant, pneumoniam typhus epidemica aliquatenus mutavisse videtur \*. Hæc explicatio magis verisimilis forsan existimetur, si in memoria habeatur, quod inter initium morbi symptomata pneumoniæ veræ adeo valerent, ut sanguinis detractio valde indicaretur; postquam vero per aliquot dies adfuisset, signa debilitatis, et quæ febrem typhodem notant, sese ostenderunt. Ex variis observationibus per scripta auctoris ejusdem sparsis, consimilem apud eum de morbi indole obtinuisse notionem, mihi persuasum est †.

Ex his jam memoratis colligere licet, primo, pyrexiam typhodem morbis inflammatoriis interdum confociatam adesse; secundo, inflammationem,

\* Hic notatu dignum est, quod iisdem annis, quibus extitit pneumonia quam *typhodem* nominavi, grassata est etiam Plymouthæ rubeola *typhodes*, talem morbi speciem referens, qualem olim observavit Morton, nuperius Watson luculentius descripsit. Vid. Huxham de Aëre, &c.—Morton oper. omn. Exer. 3. cap. 3.—Watson, Med. obs. et inq. v. 4.

† Essay on Fevers, p. 184, 186. Observ. de aëre et morb. epidem. ann. 1745, 1746.



tionem, quoad sedem attinet, illi quæ in morbo puerperali est simillimam, cum pyrexia ejusmodi interdum etiam conjungi. Hujus ex Pneumonia ab Huxham descripta, illius ex Gastritide et Enteritide, exempla habemus. His morbis cum Peritonitide puerperarum similitudinem notabilem esse, ex phænomenis, utrisque communibus, ut mihi videtur, colligi potest. Objicere tamen aliquis fortasse velit, hanc analogiam, quatenus ad juvantia et lædencia attinet, omnino deficere; sanguinis enim detractionem plenam, et sæpe iteratam, in Gastritide et Enteritide plurimum prodesse, in Peritonitide autem nostra, idem remedium nequaquam tolerari posse. Hujus diversitatis, siquidem profecto res ita se habeat, ex natura partium affectarum fortasse pendentis, hoc modo rationem enodare velim. In illis quidem morbis inflammatio ad gangrænam maxime proclivis est, hæc autem remediorum antiphlogisticorum tempestivo usu averti potest; in hoc, contra, inflammatio ad effusionem magis tendit, et hæc forsan, veluti in pneumonia vera, prohiberi posset, si ad remedia necessaria adhibenda



benda occasio tantum daretur: in peritonitide autem adeo mature fit effusio, ut inflammationem resolvere frustra plerumque tentatur.

Quin et ad analogiam pneumoniæ cum morbo puerperali confirmandam observari potest, hunc sine illius quodam gradu raro accidere, et liquorem similem in cava abdominis et thoracis fere semper effundi.

Si quis insuper objiciat, Peritonitidem puerperarum e contagione propagari, quo modo priores morbi nunquam gignuntur, respondere velim, eam, si revera contagiosa sit, quatenus ad hoc pertinet, cum alio phlegmasiarum morbo, Cynanche scilicet maligna, congruere.

Qui inflammatoriam esse puerperalis morbi indolem negarunt, argumentis ex cujusdam epidemici observatione deductis, plus æquo confidere mihi videntur. Quantum vero diversis locis, et diversis tempestatibus idem discrepat morbus, supra notatum fuit; et ex collatis historiis morbi puerperalis epidemici, eodem anno, Londini et Dubliniæ grassantis, quas a viris accepimus, quorum utrique nomen Clarke,  
idem



idem fatis constabit \*. Horum alter, de morbo tractans, qui mense Martio anni 1787 apud Eblanenses grassari incepit, cæli temperiem per vernum tempus solito frigidiorum fuisse, ventum ex oriente vel septentrione acrem perflasse, morbos inflammatorios, quales sunt rheumatismus et pneumonia, frequentes extitisse, et denique sanguinis detractio, per idem tempus, sæpius opus fuisse, observat. Alter, eum describens, qui eodem anno, mense autem Julio, apud Londonenses frequentior oriri incepit, tempestatem quæ proxime antecesserat, calidam et humidam fuisse, morbos inflammatorios, exceptis qui phlogose erythematica conjungi solent, rariores, et typhum et cynanchem malignam, per idem tempus, frequentiores adfuisse, notat. Ex his, ni fallor, facile intelligi potest unde venit, historias morborum, ab his auctoribus traditas, inter se adeo discrepare. Horum enim alter

E prorsus

\* Practical Essays on Midwifery.-----Med. Comment, V. xv. 307.



prorsus respondebat ; alter debilitatis notis, et generis nervosi affectione adeo insigniebatur, ut ab omni morbo hactenus descripto discrepare, ab auctore supra citato existimaretur \*. Morbos autem revera eosdem esse, ex causis tamen accidentalibus, quales sunt aëris constitutio, et ad morbos, alios tunc temporis epidemicos proclivitas, aliquanto mutatos, haud dubitandum mihi videtur.—

Argumentum, quod tertium proponebatur, ex his, quæ cadaverum inspectione detecta sunt, ducitur. Hæc, jam olim descripta, rursus notare haud opus esset, nisi effectus potius, quam morbi causas, existimanda esse a cl. White observatum fuisset. Hanc sententiam ex observationibus Cleghorn, Lind, Pringle, aliorumque cel. auctor fatis comprobata credit. Exempla, quæ a priori horum opere trahuntur, hoc tantum probant, quod certe negare nolo, intestinorum nempe inflammationem Dysenteriae causam

† Vid. Pract. Essays, &c. p. 112.



causam proximam esse, vel causæ ejus multum conferre. Multo minus etiam negare velim, inflammationes viscerum quorundam in febribus veris interdum reperiri, sed hæc rarius incidentes, nullam certam sedem tenentes, et ex causis adventitiis plerumque orientes, ipsæ adventitiæ, et morbis, quibus accidunt, minime necessariæ, jure ducuntur. Morbo autem puerperali peritonæi inflammatio nunquam non adfuit, ne quidem in ipsis casibus, quibus morbi accessioni mors cito supervenerat : unde æquum concludere videtur, inflammationem morbi, cujus profecto pars maxima est, nequaquam effectum existimandam esse.

Ex his, demum, quæ jam recensui, probe perpenſis colligere fas mihi videtur, morbum puerperalem ad genus Peritonitidis, cujus vel species, vel varietas jure habeatur, referri debere ; et ex historia supra memorata definitionem sequentem proponere vellem.



Peritonitis \* (*puerperarum*) pyrexia typhodes ; dolor abdominis, tactu præsertim auctus ; secundo post partum die plerumque oriens ; cum dolore capitis, supra oculos præcipue pungente, et sæpe diarrhœa tertio die vel citius accedente.—

Verum enimvero, si inflammationem causam proximam esse concedatur, quomodo ad eam excitandam agant causæ remotiores, quæstio, et difficillima quidem, adhuc responsione eget.— Hanc difficultatem solvi vix expectandum est, dum causæ remotæ minime satis cognitæ et exploratæ sint ; et præterea, quum inflammationis theoria, sive ratio qua ad istam conditionem ciendam agunt causæ remotæ, satis cognitæ et exploratæ, apud pathologos adhuc sub iudice sit.

Quum res ita se habeat, hæc sola notare jam licebit ; graviditatis, scilicet, statum peritonæum inflammationi opportunum reddere, quando-  
cunque

\* Hoc nomen genericum morbo olim imposuit D. Foster.  
—Vide *Foster's Midwifery*.



cunque illa vis distendens, cui per menses aliquot lente cedere coactum fuerat, subito summoveatur; hanc vero proclivitatem, puerperis omnibus communem, nisi potentiae quaedam nocentes corpori eodem tempore admotae fuerint, brevi sponte decedere; has quoque potentias nocentes minime exploratas esse, sed constitutionem quandam aëris morbi, praesertim epidemici, invasioni plurimum favere; et demum, a contagione locali morbum interdum propagatum fuisse videri, quoniam iisdem, quibus alii e contagione orientes impediuntur, ipse interdum impediri videtur.

De ratione symptomatum haud opus erit multa verba facere. Abdominis cruciatus iisdem, quibus in aliis phlegmasiis dolor, causis tribuendus est.—Virium subita prostratio eadem, quae in Gastritide et Enteritide est, et sicuti in his morbis, etsi haud satis constat, e consensu inter cerebrum et tubum intestinum totum fortasse pendeat.—Vomitibus biliosus oriri potest ex irritatione ventriculo et jecinori impertita, eo ipso tempore, quo bilis major copia secernitur, qualis



qualis in puerperis ob sanguinis ad alia viscera determinationem, ideoque præ omnibus ad jecur, jam mutata systematis uterini conditione, fecerini solet.—Diarrhœa partim alvi duritiæ præcedenti, cui gravidæ fere omnes obnoxiae sunt, (et talem alvi conditionem diarrhœam sæpe cedere novimus,) partim materiæ biliosæ, tam copiose in intestina effusæ, irritationi tribuenda videtur.—Spirandi molestia ex dolore oritur, quem, dum inspirat ægra, septi transversi descensus, dum expirat, muscutorum abdominis contractio faciunt; eadem autem, in quibusdam casibus, quadam pulmonum inflammatione, quam ipsa sanguinis circuitum impediendo excitaverat, augeri videtur.—De mortis, demum, causa profecto haud satis constat: raro enim accidit, inflammationem peritonæi ad sphacelum progredi; neque ullo modo comprobatum fuit, fatalem exitum ex liquidi effusi absorptione pendere: forsitan, perinde ac in Gastritide et Enteritide interdum accidere videtur, ex ultima corporis infirmitate inducta mors oriri potest.—



*DIAGNOSIS.* NULLIUS fere morbi pathognomonica signa ab initio facilius distinguuntur; nullius fere cursus ex ordine magis procedit: cum vero ad eum dignoscendum tanta cura laborarunt auctores, mihi sane hanc operis partem omnino præterire minime deceret. Morbi igitur, quibus patent puerperæ, a peritonitide puerperali distinguendi, sunt dolores qui post partum insequi solent, hysteritis, febris quam dicunt lactea, miliaria, cholera, colica, et enteritis. Ex notis, quæ sequuntur, hæc omnia indicantur.

1. Dolores, qui post partum insequuntur, nulla pyrexia comitati, per intervalla redeunt, simul ac lochiorum fluxus adfit, statim desinunt.
2. Hysteritidem hæc notæ distinguunt; dolor ardens, pulsans, perpetuus, quem utero infitum esse ægra ipsa haud dubie adjudicat; pyrexia vehemens, lochiorum suppressio, et plerumque delirium citius invadens.
3. Febrem lacteam a morbo puerperali, etsi ini-



tio horror et capitis dolor utrique adfunt, brevi tamen mammarum tensio, et dolor exinde ad axillas tendens, discrepare produnt.

4. De miliaria ex cutis punctione, sudore olido, et postremo pustularum eruptione, dijudicatur.

5. Ad choleram dignoscendam hæc signa valent; vomitus et alvi fluxus vehementiores, et levamen adferentes, ventris tormina, furarum spasmata, et absens pyrexia.

6. Dolor colicus circa umbilicum præcipue torquet, vel huc illuc vagatur; tactu etiam levatur, et nullam pyrexiam secum habet.

7. Enteritidem inter et peritonitidem puerperarum difficilior fit diagnosi; illa enim, nisi dolore circa umbilicum torquente, alterius signorum pathognomonicorum, qualia sunt abdominis inferioris teneritudo, et dolor acutus, supra supercilia etiam dolor pungens, et spirandi molestia, absentia potius dignoscitur.

Peritonitidis nostræ et typhi differentiam, nisi supra satis exposita fuisset, hic forsitan præ aliis exponere oporteret.



*PROGNOSIS.* Quum de futuro puerperalis morbi periculo præfagire velimus, quam maximam cladem semper edidit, nunquam obliviscendum est. Ex nosocomiorum tabulis apparet, e quinque ægris vix unam fatum evadere; et apud ædes privatas, ubi paululum mitior invadere solet, vix minus infaustus eventus sequitur; e septem enim ægris quinque perire solent. Quanta sit ista strages, qua epidemice grassatur, ex narratione ab Academicis Gallicis facta judicium fieri potest. Morbus enim Parisiis nosocomia, ex anno 1774, ad annum 1781, singulis brumis revivens, e duodecim puerperis septem invasit, quarum ne una quidem morti non occubuit; ita ut (ipsis auctorum verbis uti fas sit,) “ L’ Hotel Dieu donc perd quelquefois plus de  
 “ la moitié des femmes, qui y vont accoucher \*.” Quamvis in nostra Britannia nunquam tam immaniter grassatus est, tamen adeo fatalis sæpe existit, ut rei politicæ curatorem æque ac medi-

F

cum

\* Acad. R. des Scienc. l’ an. 1785. Hist. p. 48.



cum ad hunc exitialem morbum debellandum semet totis viribus accingere deceret.

Indiciis communibus, e quibus præſagitur, prætermiſſis, ex his, quæ propria ſequuntur, fauſtus vel infauſtus eventus prædici poſſit. Quo citius a partu morbus invadit, eo vehementior expectandus eſt. Gravioris morbi periculum, ubi dolor vehementer urget, ubi ſpiritus difficilis trahitur, ubi vigilia continua premit, ubi lingua arida et aſpera fit, et color lividus genas infidet. Periculoſum eſt etiam, ſi alvus ante morbi impetum tarda fuerit, peſſimum vero, ſi vomitus, viridis vel nigricans, frequens incidat, ſi tertio quartove die, fluente adhuc alvo, abdomen tumidum, intentum fiat. Ad præſagiendum autem, ex auctorum omnium conſenſu intelligitur, arteriarum pulſus conditionem plurimum valere. Niſi pulſus frequentia minuatur, notis omnibus aliis, utcunque bonis, nulla habenda fides: ſi pulſus crebrior, et ſpiratio anhe-la fiat, malum eſt; ſi, contra, tardior evadat, dum ſpiritus ſimul facilior et plenior trahatur, certior jam ſalutis ſpes erit. Talem mutatio-



nem felicem interdum comitatur diarrhœa mature accedens; matura autem diarrhœa, nisi hac comitata, nullam salutem promittit. Inter bona etiam indicia habeatur, totum corpus infudare, urinam turbidam fieri, lochia suppressa redire. Cutis mollis, et leniter calens, salutis indicium fallax sæpe reperitur; eadem maculis æruginosis super articulos foedata mortem denunciat.

*RATIO  
MEDENDI.*

Ad ultimam et operis partem ingratissimam, quippe quæ nos fateri cogit, quam impar sit medicina ad hunc debellandum morbum, jam perventum est. Enimvero, si consideremus quam paucæ hoc morbo correptæ mortem evadunt, sanatarum numerus vix istum æquare invenietur, quem, si naturæ solis viribus confisum esset, sperare licuisset.

Medendi methodus apud medicos tam diversa, quam opinio eorum de causa proxima fuit. Alii inflammationis notas, alii debilitatem solum respicientes, talia iniverunt medendi consilia, qualia in febribus vel in phlegmasiis probantur.

Qui



Qui sententiam priorem tenuere, convenientiæ hunc inter et inflammationem plus æquo innitentes, indolem pyrexix typhodem, exinanitiones vix tolerantem, haud satis respexerunt: hi vero, apud quos altera plus valuit sententia, remediis, quæ typho laborantibus opitulari solent, idem auxilium frustra expectarunt, quoniam ipsæ morborum indoles penitus diversæ sunt. Typhus, circuitu suo naturali finito, ad salutem sponte tendit; et medici officium in hoc plerumque consistit, ut ægri vires sustentaret, donec morbus per gradus suos percurrerit. In phlegmasiis quibusdam ad resolutionem proclivitas extat, quam medicamentis multum promovere datur; in aliis autem, veluti in pneumonia, ad exitum funestum per effusionem, nisi hæc arte avertatur, morbus proclivis esse videtur. Ad eundem exitum, citatiore etiam gradu, ruit in peritonitide inflammatio. Maturæ effusioni, et pyrexix indoli typhodi, difficultas morbi medendi, ut mihi videtur, potissimum tribuenda est. Illa enim remediorum, quibus solis auxilium expectari posset, tempestivo usui



vix locum præbet; hæc talium remediorum usum, etiam si occasio daretur, ancipitis vel etiam periculosi exitus reddit.

Priusquam medendi methodum, quæ mihi maxime probanda videtur, proponam, quædam observare de remediis, a medicis vel adhibitis vel commendatis, haud inutile erit. Sanguinis detractionem plerique averfantur, eam tum solum experiendam esse contendentes, cum pulmones adorta fuerit inflammatio. Sanguinem vero missum tales funestos edere effectus, quales ab his denunciantur, ægrarum historiæ ab Hulme et Leake narratæ omnino credere ventant. Verisimilius tamen est, sanguinis detractionem tantum in ipso morbi ortu prodesse posse: inflammationem autem peritonæi, aliquot horas saltem, antequam rigor, prima nota, superveniat, plerumque oriri, ex historiis ægrarum, in quibus effusio intra dies ab accessione duos manifesta inveniebatur, conjectare licet. Effusione jam facta, sanguinem mittere certe nihil prodesse, et quoniam debilitatem augere valet, certe multum nocere potest. Hinc videndum est,



est, quanti discriminis in hoc adhibendo remedio necesse est. Sanguinis detractio ex hirudinum morfu, vel per cucurbitulas parum prodest, et remedio alii locali cedere debet.

Remedia epispastica ad inflammationem localem summovendam adeo valere reperta sunt, ut ea abdomini admoveere nunquam omittendum est\*. Admoveri autem mature debent ob eandem causam, quæ sanguinis missionem maturam postulare dicebatur. Ubi notæ inflammationis pneumoniæ oriuntur, vesicatoriis pectori sæpius admotis præcipue fidendum est.

Remedia quæ vomitum promovent, a tempore quo ita laudabantur a D. Doulcet, in hac nostra insula sæpe data sunt, sed cum exitu laudibus

\* Epispasticorum usum, quippe quæ irritabilitatem morbosam augment, magnopere quidam averfantur. In typho veratalia remedia ab optimis medicis jure fateor præteriri, sed etiam in hoc morbo, ubi inflammatio localis vel capitis, vel pectoris adfit, ex horum usu multum auxilii duci potest. Quare igitur vesicatoria tantum averfarentur ii, qui morbum puerperalem typhum esse, cum inflammatione locali conjunctum, volunt, haud facile intelligendum videtur.



bus istis minime respondente. Felix eorum effectus apud Gallas facile explicari potest; si enim puerperis omnibus, quas rigor adortus est, ipecacuanhæ grana septem statim adhiberentur, et si omnis saluti reditus puerperalis febris sanatio æstimaretur, nil mirum est ducentas fere puerperas tali modo, uno anno, servatas esse. Haud tamen negare licet, hujus morbi, sicuti febrium vel phlegmasiarum quærundam, tempestivo emeticorum usu circuitum interrumpi posse. Porro, si nausea initio urgeat, ventriculum exonerando eadem prodesse possunt; sed ubi supervenerit abdominis dolor, aut vomitus vehemens, hos quidem exasperare, et ægræ vires exhaurire, tantum valebunt remedia vomitoria.

Apud medicos nostrates, multo magis laudatus est catharticum usus. Quæcunque erit alvi conditio, diarrhœam serius vel ocius intercurrere, meminisse juvabit. Hæc, quamvis symptomata potius quam critica æstimanda sit, tamen laxantium usum, quorum ope dejiciatur ista biliosa colluvies intestinis adeo nocens, postulare videtur. Huic consilio autem satis respondebunt



debunt seu clysmata emollientia, seu laxantia mitiora, neque hæc diu dare convenit, quoniam debilitatem funestam inferre alvi fluxus plurimum pollet. Quandocunque ipecacuanha quid levaminis attulisse visa est, laxando semper effectum erat; ideoque quantitate parva, sæpius repetita, veluti in dysenteria quibusdam placet, dari debet; sed forsan haud minus auxilii ab aliis remediis, ad nauseam ciendam minus pronis, sperari datur.

Clysmata ex infuso Nicotianæ injicere, tam in Peritonitide quam in Enteritide, a quibusdam hortatur; sed in utroque morbo, tanta ad vomendum proclivitas adest, quanta ab usu medicamenti, qui etiam in sanis istam conditionem adeo vehementer inducit, nos deterrere debet.

Quando ulterius processerit morbus, ad ægræ vires sustinendas, cinchona, vinum, aliaque id genus, adhibita fuere; alvi autem conditio prioris usum, vel forma vel quantitate debitis, plerumque prohibet. Opium versus morbi finem, dolorem leniendo, irritabilitatem minuendo, et somnum inducendo, haud parum auxilii attu-

lisse



liffe videtur; initio autem, et adstante inflammatione pneumonica, ab eo melius abstinendum est. Quamvis enim hoc remedium in morbis inflammatoriis multo magis, quam olim usitatum est, tamen in pneumonia ab initio haud sine periculo absumi posse, docet experientia.

Qui ex sententiis suis de morbi indole administrationem antiphlogisticam minus aptam excogitaverunt, vel eandem, quantillum ad morbum debellandum valeat experientia docti, deferuerunt, aliam medendi methodum, quæ nunc breviter dicenda est, secuti sunt. Hi, simul ac observatur crebrior puerperæ pulsus, nullo alio signo pathognomonico jam apparente, cinchonam cum opio junctam, quantitate tam larga, quam ventriculus tolerare potest, statim dari volunt. Si nausea vel diarrhœa accedentes cinchonæ pulverem diutius dari vetant, ad ejusdem corticis decoctum cum opio, adhibitis prius emetico, ni dolor abdominis vehementior adfit, et clysmate laxante, confugiendum est. Si alvi fluxus, his remediis non sublevatus, cinchonæ pulverem resumere vetat, in vicem ejus substi-



tuenda est columbæ radix. Vinum aliaque cardiaca, per totum morbi decursum, libere propinanda; symptomata propria levanda, veluti tenesmus ope clysmatum anodynorum, et tormina fotu abdomini admoto.——Talis medendi methodus a D. Joanne Clarke multum laudatur.

Inter has tam diversas sententias apud medicos jure celeberrimos habitas, meam quidem interponere non ulla experientia comprobata, vereor ut parum modestum haberi possit. Quoniam vero salutis hominum promovendæ vel minimam spem abjicere nequaquam decet, istam medendi methodum, quæ morbi naturæ, supra prolatae, mihi maxime consentanea videtur, paucis exponere etiam cum aliquo periculo audendum est.—Simpliciore morbi speciem, qualem privatim assumit, (in nosocomiis enim variis rebus, quod speciem attinet, mutatur, unde aliæ indicationes oriantur,) jam supponere placet.

Si auxilium a medicina petatur, ubi morbus jam primus sese ostendit, aut ubi signa, quæ rigorem et dolorem aliquando præeunt, accessum futurum



futurum præmonuerint, sanguis detrahendus, nisi ex quacunque causa ægra valde debilitata fuerit; et, quoniam sanguinis missio vix aut ne vix quidem repetenda erit, copiam majorem, quam plerumque solet, primo detrahere forsitan oportet. Si notæ inflammationis pulmonum adsint, ad venæsectionem multo magis confugiendum; sed in utroque casu, non tantum inutilis, sed etiam perniciosissima erit, si aliquandiu, fortasse etiam per horas duodecim, morbus adfuerit.—Sive vero mittatur sanguis, sive non, remedia epispastica abdomini, et si dyspnœa urgeat, etiam pectori, sine mora admovenda, et per paucos dies ad varias ventris partes renovanda sunt. Sive astricta, sive soluta sit alvus, clysmata multum prodesse promittunt; si astricta, et aliquando etiam, si aliter sese habeat, laxantia mitiora dare, et etiam iterare oportet. Si nausea initio inciderit, priusquam abdominis dolor gravior adfuerit, vomitorium lene, quale ex Ipecacuanha fit, juvare potest; sed emeticis ex antimonio, hoc consilio datis ut nausea perpetua cieatur, ex quo vomitum movendi, et certissime vires



vires exhauriendi periculum oriatur, minime utendum est.—Si vero his remediis adhibitis, nulla indicia, quæ morbum in melius vertentem ostendunt, tertio quartove die observari possint, tum serum in cavum abdominis jam effundi, valde timendum est; igiturque remediis evacuantibus, exceptis subinde clysmatibus, penitus abstinendum est.

Ægræ vires sustentare, symptomata graviora lenire, et naturæ suam vim medicatricem occasionem præbere exercendi, officium medici jam solum restat. Hoc consilio ad dolorem leniendum, alvum cohibendam, et somnum inducendum, aptissimum est opium; et ad vires sustinendas vinum, aliaque cardiaca, et si ventriculus pati potest, Cinchonam etiam, dare oportet. Ad hoc tamen consilium perficiendum medicinam parum valere, fatendum est.

Per totum morbi decursum, frigus externum ægræ libere admovendum oportere, ex exemplis a D. Kirkland traditis docemur \*.—An ve-

ro

\* On child-bed fevers.



ro ex analogia inter pyrexiam, peritonitidem nostram comitantem, et typhum veram, lavatione corporis frigida, quæ tam manifesto, tamque magno beneficio in hoc morbo adhibetur, in illo quoque uti fas sit, non nobis est profecto dijudicare. Ex salutari aëris frigidi effectu aliquid etiam beneficii ex aqua frigida sperare licet, et quoniam hæc cruribus et abdomini sine injuria in enteritide admota fuit, inflammatio localis a periculo faciendo nequaquam nos terrere debet \*.


\* Quod prophylaxin attinet, id omnino præterire visum est; cum observationes nullas iis adjiciendas invenio, quas optime dedit in tractatu toties citato D. Josephus Clarke.—Med. Comment, V. xv.

F I N I S.











DISSEMINATION OF KNOWLEDGE

OF THE

PHILOSOPHY OF THE